



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Tertiæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

De institutione ipsius. 5

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38725**

*Vtrum institutio huius sacramenti fuerit conueniens?*

430

*inf. q. 74.**a. 4. co. et**ad 1. q.**q. 80. a. 8**ad 1. et 4**d. 8. q. 1.**a. 3. q. 1.**Cor. 11.**le 4. co. 4.**q. 5.**col. 1. fin.**\* li 2. ca.**50. to. 2.**† p. 1. a.**med.**q. 8.*

**A**D quintum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens institutio istius sacramenti. Ut enim Philosophus \* dicit in 2 de generatione, Ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus. Sed per baptismum, qui est spiritualis regeneratio, accipimus esse spirituale: ut Dionys. † dicit 2. cap. eccl. hier. Ergo per baptismum etiam nutrimur. Non ergo fuit necessarium instituere hoc sacramentum, quasi spirituale nutrimentum.

¶ 2 Præterea, Per hoc sacramentum homines Christo uniuntur, sicut membra capiti. Sed Christus est caput omnium hominum, etiam qui fuerunt ab initio mundi, ut supra dictum est \*. Ergo non debuit institutio huius sacramenti differri usque ad cenam Domini.

¶ 3 Præterea, Hoc sacramentum dicitur esse memoriale Dominicæ passionis, secundum illud Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Sed memoria est præteritorum. Ergo hoc sacramentum non debuit institui ante Christi passionem.

¶ 4 Præterea, Per baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiam, quæ non nisi baptizatis dari debet. Sed baptismus institutus fuit post Christi passionem & resurrectionem: ut patet Matth. ult. Ergo inconuenienter hoc sacramentum fuit ante passionem Christi institutum.

SED contra est, quod hoc sacramentum est institutum à Christo: de quo dicitur Marc. 7. Bene omnia fecit.

RESPONDEO dicendum, quod conuenienter hoc sacramentum institutum fuit in cœna, in qua scilicet Christus ultimò cum suis discipulis fuit conuersatus. Primo quidem, ratione continentie huius sacramenti. Continetur enim ipse Christus in eucharistia sicut in sacramento. Et ideo quando ipse  
Chri-

Christus in propria specie à discipulis discessurus erat, in sacramentali specie seipsum eis reliquit: sicut in absentia imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Vnde Eusebius Emisenus dicit \*, Quia corpus assumptum ablatum erat ab oculis, & illaturus fide-ribus, necesse erat ut die cœnæ sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret nobis, ut coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in precium. Secundo, quia sine fide passionis Christi nūquam potuit esse salus, secundum illud Rom. 3. Quē proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Et ideo oportuit omni tempore apud homines esse aliquid repræsentatiuum dominicæ passionis. Cuius in veteri quidem testamento præcipuum sacramentum erat agnus Paschalis: unde & Apost. dicit 1. Cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Successit autem ei in nouo testamento eucharistia sacramentum, quod est rememoratium præteritæ passionis, sicut & illud fuit præfiguratiuum futuræ. Et ideo conueniens fuit ut imminente passione, celebrato priori sacramento, nouum sacramentum institueret. Vnde Leo Papa dicit \*, quod ut vmbra cederent corpori, antiqua obseruancia nouo excluditur sacramento: hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, & regalis festiuitas, dum mutatur, impletur. Tertio, quia ea quæ vltimo dicuntur, maximè ab amicis recedentibus, magis memoriæ cõmendantur: præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Ea verò, ad quæ magis afficimur, profundius animo imprimuntur. Quia igitur (ut B. Alexan. \* Papa dicit) nihil in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est: ideo ut in maiori veneratione haberetur, Dominus in vltimo discessu suo à discipulis, hoc sacramentum instituit. Et hoc est quod August. † dicit in lib. respons. ad Ianuar. Saluator, quo vehementius cõmendaret mysterij huius altitudinē, vltimum hoc voluit artius infigere cordibus & memoriæ disci-

*Habetur de cõf. d. 4. e. quia corpus assumptum hom. 4. in Pascha Dom. non longè à princ.*

*In ser. 7. de pass. Dom. inter princ. & med.*

*Alex. 1. in epi ad oēs orb. à med. illius 10. 8. contil. in ep. 1. 8 e. 6. à medio 10. 2.*

scipulorum, à quibus ad passionem digressus erat.  
Ad primum ergo dicendum, quòd ex eisdem  
nutrimur, ex quibus sumus, non tamen eodem modo  
nobis aduenientibus. Nam ea ex quibus sumus, nobis  
adueniunt per generationem: eadem autem in  
quantum ex eis nutrimur, nobis adueniunt per man-  
dicationem. Vnde & sicut per baptismum regene-  
ramur in Christo, ita per eucharistiam manducamus  
Christum.

Ad secundum dicendum, quòd eucharistia est sa-  
cramentum perfectum Dominicæ passionis, tamquam  
continens ipsum Christum passum: & idè non po-  
tuit institui ante incarnationem. Sed tunc habebant  
locum sacramenta, quæ erant tantum præfiguratiua  
Dominicæ passionis.

Ad tertium dicendum, quòd sacramentum illud  
fuit institutum in cœna, vt in futurum esset memo-  
riale Dominicæ passionis, ea perfecta. Vnde signan-  
ter dicit, Hæc quotiescumque feceritis, de futuro  
loquens.

Ad quartum dicendum, quòd institutio respon-  
det ordini intentionis. Sacramentum autem eucha-  
ristiæ, quamuis sit posterius baptismo in perce-  
ptione, est tamen prius in intentione: & idè de-  
buit prius institui. Vel potest dici, quòd baptis-  
mus iam erat aliquantulum institutus in ipso Christi bap-  
tismo. Vnde & iam aliqui ipso Christi baptismo erant  
baptizati, vt legitur Ioan. 3.

## ARTIC. VI.

*Vtrum agnus Paschalis fuerit præcipua figura  
huius sacramenti?*

431  
inf. 4. 80.  
ar. 10. ad  
2. & 4. d.  
3. q. 1. ar.  
2. & dis.  
12. q. 3. a.  
1. q. 3. ad  
1.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd agnus  
Paschalis non fuerit præcipua figura huius sa-  
cramenti. Christus enim dicitur sacerdos secundum  
ordinem Melchisedec, propter hoc, quòd Melchise-  
dech gessit figuram sacrificij Christi, offerens panem  
& vinum. Sed expressio similitudinis facit quòd  
vnum ab alio denominetur. Ergo videtur, quòd ob-  
latio